

ortum Muhammetis circa annum 603. emicuit: Tertius qui anno 1240 sub eruptionem magni Tamerlanis, ut habet Pontanus. Aut igitur Plinius hoc ignoravit, aut, ut censet Muretus in notis ad Senecam, vocabulo *octoginta* in verbis prædictis litera C (quæ forsan incuriâ typographorum omiffa est) præmittenda venit, ut fiant CLXXX dies quæ ferè conficiunt 6. menses longissimam Cometarum durationem. Noster, ut notum est, ad 18 dies omnium in conspectu fuit. Dubium autem nullum est, quin & hic noster & alii nonnulli multò longiùs in cælo duraverint, quàm oculis nostris fuerunt expositi, cum plerumq; non tam plenaria corruptio, quàm partim altior elevatio, partim Solis approximatio, phænomena talia nostris oculis eripere soleat.

CAPUT XXVI.

DE MOTU COMETARUM.

Duplicem in Cometis motum observamus, *primum* videlicet, seu *communem*, quo cum aliis stellis circa tellurem ab ortu per meridiem in occasum quotidie circumvolvi conspiciuntur; & *proprium*, quo Planetarum instar per se moventur & distinctum à reliquis iter in cælo conficiunt. De priori non immeritò dubitatur, utrum ille realiter insit Cometis, an saltem à nobis cum tellure in orbem euntibus ipsis affingatur, cum non adeò verisimile videatur, posse corpus ejusmodi citò corruptibile tam rapidissimo motui exactissimè obtemperare, adeò ut leges ejus nunquam transgrediatur, nisi quantum motus proprius sese permiscens requirit, cum tamen extranei nihil sit, quod impulsu suo moveat, aut concursu circumducat illud. Sed de his dabitur occasio forsan alio tempore accuratiùs inquirendi.

Motus Cometarum proprius est, quo seorsim progrediuntur, alii à meridie in septentrionem, alii contra; alii ab occasu in ortum, alii ad aliam quamcunq; plagam mundi intermediam, non enim omnes eodem tendunt, sed, ut pisces in æquore, varios exercent motus, ita tamen, ut plerumq; rectâ progrediantur viâ, tractum in Cælo describentes, qui, quantum ad sensum, arcum circuli magni quàm proximè repræsentat. Quantum ad sensum inquam, nam si motum cometicum accuratiùs inspexerimus, & geometricâ ratione tractum ejus examinaverimus, deprehende-